

**De fistulis urinariis adiecta huius morbi historia : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Josephus Antonius Jagielski.**

**Contributors**

Jagielski, Josef Anton.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

[Berolini] : Form. Brueschckianis, 1820.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/rq9q7g47>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

13.  
DE

FISTULIS URINARIIS  
ADIECTA HUIUS MORBI  
HISTORIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI  
MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES  
RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXX

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

JOSEPHUS ANTONIUS JAGIELSKI

POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS

A. HIRSCHL. MED. DD.

C. MARCINKOWSKI. MED. CAND.

H. KERSTEN. MED. CAND.

---

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

DE  
FISTULA URINARIA  
ADIECTA HUIUS MORBI  
HISTORIA.

DISSERTATIO  
IN ACADEMIA MEDICA  
CONSENSU ET AUCTORITATE FACULTATIS  
MEDICORUM ORDINIS

IN  
UNIVERSITATE LITTERARUM BEROLINENSIS  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIS  
RITAE SIBI CONCEDANTUR  
DIE XII. M. OCTOBRIIS A. MDCCXX  
H. I. G. S.  
PUBLICE DEFENDIT

AUTOR  
JOSEPHUS ANTONIUS JAGIELSKI

OPONENTES  
A. HIRSCHL, MED. CAND.  
C. MARGINKOWSKI, MED. CAND.  
H. KIRSTEN, MED. CAND.

FORNIS BRUESCHKEIMIS

V I R O

ILLUSTRISSIMO REVERENDISSIMO

J. KRAMARKIEWICZ

CANONICO HONORARIO LENCZYCENSI

PRAEPOSITO OSTROVIENSI

V I R O

ILLUSTRISSIMO REVERENDISSIMO

NEQUE MINUS

J. KRAMARKEWICZ

CANONICO HONORARIO LENINGRANSI

PRAEPOSITO OSTROVENSIS

V I R O

ILLUSTRISSIMO REVERENDISSIMO

MICH. JAGIELSKI

DECANO ECCLESIAE COLLEGIATAE ST. M.

MAGDALENAE POSNANIENSIS

FAUTORIBUS ATQUE CONSANGUINEIS

SUIS SUMMOPERE VENERANDIS

ILLUSTISSIMO REVERENDISSIMO  
EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

HASCE

MICH. JAGIELSKI  
STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

DECANO ACADEMIAE COLLEGIATAE S. M.  
MAGISTRI D. D. D.

AUCTOR.

## Prooemium.

---

Cum a maioribus nostris institutum sit, ut, quicumque honores doctorales ambire velit, specimen quoddam medicum exhibeat et iudicio publico subiiciat, nec ego huic instituto morem gerere dubitavi. In eligenda vero materia diu haesitavi, quum probe intellexissem, quam late pateret artis nostrae campus, et cum mecum reputassem, quanti ingenii in ea elaboraverint viri, ita ut in reprehensionem iustissimam incurrerem, si Hippocratem, Galenum, Boerhaviu[m] et alios vel emendare vel scriptis observatorum maxime celebratorum nova addere conatus essem, qui exigua tantum rerum medicarum experientia instructus, in eo sum, [ut viam modo ab iis praescriptam ingrediar. Operae denique pretium me facturum esse existimavi, si lectoribus descriptio-



nem morbi ob decursum peculiarem insignis nonnullis annotationibus adiectis exhibuerim; quem cum aegrotus in clinico Universitatis chirurgico ab Ill. Graefe, huius instituti direttore curandus mihi traditus esset, exactissime observandi mihi fuerat occasio.

Cum vero non omnium sit omnia nosse nec ea quae noverint, iis adornare atque exponere verbis, quae cunctis satisfaciant, a vobis lectores benevoli enixe peto, ut opusculo huic quod vestras in manus iam trado, nisi applausum detis, indulgentiam tamen concedatis.

## Fistularum urinariarum definitio.

**F**istularum urinariarum denominatione comprehendimus canales abnormes, qui e vesica urinaria vel urethra originem ducunt, atque ad partes usque vicinas vergentes, urinam, urethra impedimento quodam impervia facta, e corpore excernunt.

Varii auctores vario modo fistularum differentias exhibent, quarum praecipuae hae esse videntur:

1. Quoad aperturam externam, quae vel in perinaeo, vel in scroto, vel in membro virili, vel in natibus, femore, lumbis, abdomine etc. obvenire potest.

2. Quoad aperturam internam, in qualicunque urethrae parte, vel in ipsa vesica. Illa e stillicidio lotii per aperturam externam fistulae durante mictione praesente, haec vero e continuo urinae fluxu cognoscitur. Praeterea vel completae, esse possunt, si duobus ostiis instructa sunt, vel incompletae, ubi uno tantum gaudent.

3. Quoad directionem, dividuntur in fistulas rectas, curvas, vel tortuosas.

4. Quoad complicationem, prout vel aliae simul partes adfectae sunt, vel ulcus fistulosum cum humorum labe qualicunque, syphilitica, scorbutica, scrofulosa et aliis affectionibus simul apparet..

Fistulae hae modo unum canalem efficiunt, modo pluribus ramis ac ramulis exteriora petunt, plerumque tamen, etiamsi plures aperturae externae appareant, omnes hae fistularum ramificationes in unum coeunt, et uno tantum ostio in urethra vel vesica hiant, quae tamen regula in casu infra enarrando, quo duae aperturae exiguo cum intervallo inventae sunt, omnino aberravit.

Cognoscuntur vero hi canaliculi his signis: urinae ex urethra vel iusto minus excernitur vel prorsus profluere desinit, in partibus vero vicinis tumor variae magnitudinis mox oritur, qui vel sponte, vel occasione quadam data rumpit, et ab initio pus cum urina commixtum, mox vero urinam meram emittit.

Ostium hoc tali modo exortum duritie plerumque callosa circumdatur, quae nunc ad fistulae ambitum tantum limitata est, nunc perinaeum, anum, scrotum membrum virile et alias partes adiacentes occupat, totumque fistulae tractum ad

hiatum internum usque sequi solet. — Mingen-  
do aeger modo calorem proprium in fistulae de-  
cursu persentit, modo autem dolore urgente affi-  
citur; urinaque maiori vel minori quantitate,  
sponte iam invito aegro ex ostiis fistulae pro-  
fluit.

Fistulae urinariae cum fistulis stercoraceis fa-  
cile confundi queunt, quem errorem evitabimus,  
cogitantes, ostia fistulae stercoraceae orificio ani  
vel adiacere, vel ab eo paulo remota esse, mate-  
riam praeterea excretam purulentam, stercorace-  
am ac spissiore[m] esse ea, quae e fistulis urina-  
riis stillare solet, denique explorationibus specilli  
ope institutis, vera earum natura mox apparebit.  
Ambigua autem redderetur diagnosis, si singula  
quaedam fistula urinaria ad rectum usque intesti-  
num viam sibi aperuerit. Fistula vero e vesica  
originem ducens, ab ea quae ad urethram hiat,  
maxime eo differt, quod transitus per urethram  
abnormitate nulla stipatam maiore tantum adhi-  
bito nisu lotio permittitur, vel omnino praepedi-  
tur, sed e fistularum orificiis externis involuntarie  
stillitare pergit. Haec tamen symptomata etiamsi  
saepe ambigua sint, Therapiae haud multum  
afferunt detrimenti, cum uterque casus eandem  
fere curandi rationem exigit.

Causae huius morbi genitrices omnes eae sunt,  
quae vias urinarias laedere urinaeque missionem

vel suppressere vel quodam modo saltem inhibere valent. Huc pertinent:

1. Variæ violentiæ externæ, vulnera, contusiones, cystotomia imprimis apparatu magno peracta.

2. Abscessus phlegmonoides, metastatici, gangraenosi in ipsis partibus urinariis vel earum vicinis.

3. Ulcera partium adiacentium, præcipue ani, perinaei, penis, scroti, vaginae etc. vias urinarias lente corrodentia.

4. Varii denique urethrae ac colli vel ipsius vesicae morbi, quibus urina impeditur, quo minus libere per eas transeat; unde sequens vesicae ruptura induci potest.

Morbi Prognosis pro aetate, gradu, loco, ac complicatione mali cum aliis morbis variat. Inflammationi tempestive occurendo, abscessum incidendo (id quod et Pater Hippocrates optime iam monuit. Aphorism. Lib. IV. — 81.) urethrae coarctationi obvieniendo, infaustis haud raro averti potest exitus. Fistulae ab urethrae dissolutione exortae, meliorem admittunt prognosin, iis, quae a vesicae ipsius laesione originem petunt, illae vero, quae cum intestino recto aut vagina communicant, sanatu difficillimae sunt; ambiguus denique hic morbus evadet, si iam symptomata puris vel lotii resorpti obvenerint; his enim mox

totius corporis debilitas, marasmus, febris lenta accedunt, quin et mortem interdum inducere valent.

Quod ad curam attinet, in hoc ita, ut in aliis morbis causae ante alia efficientes respiciendae et removendae sunt, interque eas urethrae coarctatio primum saepissime tenet locum. Si morbus tantum localis e coarctatione urethrae solum exortus, recens adhuc est et fistulae earumque orificia magna callositate non stipantur, canalculi hi saepe sponte evanescent, quamprimum urina sine impedimento via normali per urethram profluere valet. Quod ut efficiatur, plerumque varii generis catheteres sine ullo discrimine ac verae morbi indolis respectu, introduci solent; quae vero medendi ratio ut Richter (Anfangsgründe der Wundarzeneikunst. Bd. VI. pag. 339. seqq. Göttingae 1802), Bellius (Lehrbegriff der Wundarzeneikunst aus dem Engl. pag. 197 Lpzig. 1805) Hunterus et alii monent, non solum sine ullo fructu saepissime adhibetur, verum etiam irritatione insueta noxia esse potest. Quibus sub conditionibus catheter imponendus vel reiiciendus sit, Zangius (Darstellung blutiger heilkünstlicher Operationen Tom. III. pag. 320. seqq. Viennae 1819.) prae aliis optime exposuisse videtur.

Morbo vero iam inveterato, partibus quae vicinis vitiatis, remediis pharmaceuticis, appli-

catione catheterum et cereolorum parum proficiemus, ac semper fere ad operationem recurrere cogemur, quae eo maxime nititur, ut omnes illi canaliculi ab apertura eorum externa, ad hiatum usque internum, emollitis antea et remotis callositatibus, eos circumdantibus, diffindantur, ita tamen, ut ostii interni ambitus simul incidatur vel scarificetur, eo enim integro relicto, novis fistulis mox exoriundis ansa preberetur.

Tali tantum ratione fistulas urinarias in veteratas, destructionibusque partium vicinarum iam stipatas sanari solum posse, omnes inter se auctores conveniunt; in operationibus autem exercendis, stricturis urethrae tollendis, et in curatione secundaria valde differunt.

Alii enim, fistulis diffissis, supra specillo sulcato urethrae stricturam vel incidunt, vel scalpello recurvato, aut forcice omnem coarctationem cum urethrae particula simul exsecant. Quibus remotis, cereolos pro urinae transitu excavatos, per vulnus urethrale inferunt, ne urethra rursus coalescat. Alii vero acum (triquetram) paracenticam (Troicart) per hiatum fistularem urethrae introducunt, stricturam caute perfodiunt, per aperturam tali modo ortam setaceum traiciunt, et coarctationem per suppurationem tollere student; urinae vero, ut transitus extrorsum detur per vulnus urethrae catheterem flexibilem in vesici-

cam imponunt. — Strictura demum suppuratione sublata, setaceoque remoto, catheterem protrahunt et per urethrae orificium in vesicam reimponunt, ne parietes urethrae conglutinent. Quo facto, fasciis rite applicatis vulnus externum claudi curant.

Omnes has operandi methodos fusius hic enucleare dissertationis limina longe excederet, cum praeterea in operibus infra enumeratis luculentissime expositae sint.

Quapropter nonnullas etiamnum, stricturam urethrae cauteriis potentialibus sanandi methodos exhibuisse sufficiet.

Hanc methodum haud immerito vituperantes obiiciunt, quod in aegrotis sensibilibus, totum organismum facile afficiat, quod corpora cavernosa penis inde corrodi, haemorrhagiae, tumores testium, obstructio urethrae escharis inde natis oriri possent, coarctationibus tamen levioribus usui esse posse negari nequit.

Causticorum hoc in casu adhibendorum duae existunt methodi, altera, qua lapis infernalis, cuius rei auctor Hunterus exstitit, altera vero, qua lapis causticus Whetely auctore adhibetur.

Lapis infernalis tum imprimis adhibendus videtur, ubi strictura minoris obvenit longitudinis, ita tamen, ut specillo, etiam si tenuissimum esset,



penetrari possit. Applicatio ipsa fit ope cereolorum.

Ubi autem strictura vel maioris fuerit ambitus, vel earum plures obvenerint, Whately lapidem causticum praefert. Applicatur ita, ut lapis infernalis, cereolis, quorum apices paulum excavati sunt, quibus causticum adaptatur. Cereoli eo modo armati in urethram imponuntur, ut simulac lapis causticus aliquatenus liquefactus est, stricturae admoveatur, idque toties repetatur, usquedum urethra pervia facta sit.

Huius methodi effectus cereolis simplicibus alternis vicibus adhibitis Bellio auctore magno opere sustentari potest.

Nunn Diss. de duabus prope perinaeum fistulis urinam purulentam excernentibus Erf. 1769.

V. Waitz Auszüge etc. Bd. III. pag. 804.

Troia Ueber die Krankheiten der Nieren, der Harnblase und der übrigen zur Ab- und Aussonderung des Harns bestimmten Theile. Aus d. Ital. Leipzig 1788. 8.

Berlinghieri Abhandl. üb. d. Verengerung der Harnröhre u. ihrer Folgekrankheiten in Harles neuem Journal Bd. I. St. 1.

A. I. Petit. Observation sur une fistule au périnée, in Mem. de Chirurg. Vol. I. pag. 619.

- Home Practische Bemerk. ü. die Heilart der Harnröhrenverengerung durch Aetzmittel a. d. Engl. v. Hahnemann Lpzg. 1800. 8.
- Nouvelles recherches sur les retention d'urine par M. Nauche à Paris 1806.
- A. Petit mémoire sur la retention d'urine à Paris 1818.
- P. I. Desseault Oevres chirurgicales. Tome III. maladies des voies urinaires à Paris 1803.
- Richter Anfangsgründe der Wundarzeneikunst. Th. 6. Kap. 16.
- Arnemann System, Theil I. S. 422.
- Zang Darstellung blutiger heilkünstl. Operationen Th. III. S. 512 Wien 1819.
- Bernstein Hdbch. für Wundärzte Leipzig 1820.
- Callisen Principia systematis Chirurgiae hodiernae. Pars I. Hafniae 1788.
- Bell Lehrbegriff der Wundarzeneikunst Th. 2. S. 209. Th. 6. S. 139.

### Historia Morbi.

Frd. David. R. agricola Pomeranus XXXVIII. annos natus, incola pagi Schirsk prope K. die XV. Iunii MDCCCXIX, hora nona vespertina quum in bovili esset, in medio femore dextro a bove cornu percussus, in altum sublatus, et septem circiter passus proiectus est; ita ut animo linqueretur et nonnisi succurentium auxilio, post quar-

tam horae partem in vitam revocatus esset. Vulnus magnum ac profundum in femore inde exortum tantam sanguinis copiam emisit, ut nonnisi postero die sisti posset. Pastor hoc in loco chirurgi munus agens, primo aqua frigida, et hac frustra adhibita, spiritu vini sanguinem sistere tentavit. Primo aspectu penis, scrotum aequae ac partes vicinae vehementer conquassatae se praebebant et non solum e vulnere, sed ex urethra etiam sanguis stillavit. Nocte subsequenti femur et partes sauciatae supra memoratae valde intumuerunt, aegrotoque maximum inflixerunt dolorem, ita ut somnus eum fugeret et in lectulo circumiacere se cogeret. Tertio die aegrotus in finitimum oppidum advectus chirurgi curae mandatus est.

Vespere eiusdem diei, urina sanguine commixta e vulnere destillare coepit, ex urethra autem ab eo inde tempore, quo sauciatus est, ne gutta quidem provenit. Chirurgus qui curam aegroti in se susceperat maximam adhibuit operam, ut cathetere per urethram in vesicam penetraret, cum autem tali modo nihil proficere posset, ad fomentationes frigidas recurrit, quibus per aliquot temporis spatium adhibitis, denuo catheterem in vesicam inferre tentavit, sed et nunc quoque incassum laboravit. Quum vero fomentationes illae frigidae male adhibitae essent, cum partes

laesae mox indurescere coeperint, ab iis destitit, et errorem commissum ut corrigeret, fomentationes illas cataplasmatibus et inunctionibus mutavit. Sed et hac curandi methodo parum profecit, ita ut malum hoc magis magisque progredere-  
tur. Urina per quatuor hebdomades continuo ac aegro invito e vulnere stillitavit, ex urethra vero nec ullum lotii vestigium animadverti potuit; quinta vero hebdomade accumulatione puris et urinae tumor tres circiter pollices a vulnere in parte interiori et posteriori femoris exortus idemque mox sponte ruptus est, ac magnam puris urina commixti copiam emisit; quo facto intumescencia femoris, quae antea infra vulnus sat magna erat, illico tenuior quidem facta est, urina vero ab eo inde tempore, non solum e vulnere, verum etiam ex apertura e ruptura illa tumoris orta, una profluxit, cataplasmata interea et inunctiones continuabantur. Octava morbi hebdomade in scroto indurato pustula apparuit, quae paulo post rupta multum puris ab initio edidit, post aliquot dies vero et haec apertura sponte nata ita ut antecedentes urinam emittere coepit. Hunc novum sic formatum canalem excretorium, similis in perinaeo mox secutus est, qui simili modo pus et urinam excrevit. Quibus ita se habentibus, vulnus primarium a bove aegro inflictum sensim sensimque claudi coepit, ita ut interdum tantum

urinae guttam aliquam proferret, tumor autem supra fistulam in femore exortam, qui iamiam ex toto remotus esse videbatur, rursus apparuit et paucis diebus praeterlapsis nova in illo loco fistula erupit; mirandum vero maxime videtur, quod homo iste tot tantisque malis implicatus in universum tamen valetudine sat secunda gavisus est, adeo ut et ciborum appetentia ab initio deficiens mox restituta sit. Urinae, quae hucusque ex quatuor fistulis perpetuo destillaverat, iam minori copia, quarta circiter horae parte interiecta, effluere coepit, et circa XV — XVIII hebdomadem urina arbitrio tantum aegroti emissa est, quam nunc duas circiter horas retinere potuit. Omnis vero catheterem in vesicam per urethram inducendi conatus frustratus est, et aegrum vehementissimis doloribus affecit. Mensibus quinque peractis, quum nulla sanandi spes adesset, aegroti Berolinum sese conferre persuasum est, ut ibi fortasse operatione quadam sanaretur. Aegrotus consilium hoc probavit, sed in itinere propter nimia frigora Sedini remanere coactus est. Quo loco complurium chirurgorum curae per sex fere menses traditus est, sed et hi parum profecerunt. Catheteres variae magnitudinis et formae frustra illati sunt. Quin demum et specillo curvato sulcato, quo in Lithotomia uti solent, in vesicam penetrare factum est pericu-

lum, hoc instrumentum profundius quidem ac priora illatum est, ad ipsam usque vesicam vero neutiquam profectum est; novo vero hoc experimento cum vehementia quadam certe instituto factum est, ut sanguis sat copiose ex urethra stillaret, et specillum propter nimium dolorem, quo aegrum affecit, removeri deberet. Specillo remoto sanguis qui antea tantum stillaverat, nunc quasi rivulo prosiliit et per horam integram profluere haud desiit, atque aegrotus saepe dolores persensit in perinaeo praecipue si paululum ambulaverat; novissimo enim tempore baculi auxilio, in oppido ambulare potuit. Quum autem hic status multas molestias et incommoda ei afferet et operatione se sanatum iri speraret, bona tempestate viam ingressus est, et die XIX. Aprilis a. c. in clinicum Universitatis nostri chirurgicum, quod duce Ill. viro Graefe summis floribus gaudet, advectus est. Die XXII Aprilis mihi curandus mandatus est, omniaque quae modo commemoravi ex aegroto partim, partim e comitibus ejus tentamine stricto ac saepius reiterato, compertus sum.

### Status praesens.

Valetudine in universum sat secunda gavisus est, et bonam prae se tulit speciem quum inde a iuventute corporis habitus validioris esset ciborum appetitus ita ut somnus neutiquam alienati, nullumque alium dolorem persensit, nisi certum

ardorem pungentem in fistularum ostiis dum lotium redderet et sensationem quandam obtusam in ossis sacri regione permanentem; quae sensatio a nonnullis inde hebdomadibus dolore interdum pungente, interdum urente alternavit. Pulsus plenus et mollis sed iusto frequentior. Baculi auxilio sine graviore nisu ambulare potuit. Alvum quotidie deiecit. Urina vero non ex urethra, sed e quatuor supra commemoratis fistulis arbitrio aegroti torreniter quater vel quinque quotidie emissa est. Pars interna cruris dextri in totum fistularum decursum ita ut scrotum a dextra et posteriore parte, nec non perinaeum vehementer indurata et crassa erant, quae durities ad femur usque extensa erat, quam ob rem, femur introrsum verti haud potuit. A parte sinistra et anteriore scrotum nullis indurationibus stipatum erat, ita ut testiculos bene explorare possemus, eosque integros reperiremus, sinistra tantum epididymis plane indurata fuit, ita ut aeger tangendo doloribus afficeretur. Catheterem argenteum et oleo illinitum in urethram inferre tentavi usque ad vesicam tamen penetrare nullo modo potui, cum in regione bulbi cavernosi impedimentum quoddam inexplicabile mihi se obtulerit, quod introitum in vesicam utique frustravit. Deinde catheteribus elasticis, et cereolis diversae magnitudinis usus sum, sed

incassum laboravi, neque subtilissimis quidem proficere aliquid potui. Eodem modo L. Dr. varia catheterum genera inferre studuit, sed omnis eius opera inutilis erat. Ad ultimum igitur auxilium refugendum erat, et omnibus instrumentis, quibus in simili casu uti solemus frustra adhibitis, specillum maius sulcatum in cystotomia maxime adhibitum, inferre statuimus. Pluribus itaque inferre inutile tentatis unum tandem, maxima opera adhibita, ad manubrium usque illatum est, ita tamen ut aeger nullum inde dolorem persentiret. Specillo demum extracto sanguinis aliquid coagulati, pure commixti profluit. Iam cavum catheterem argenteum imponere tentavimus, quod nobis sine ulla difficultate contigit. Catheterem ita inductum cum eum in vesicam penetrasse crediderimus, quamquam urinae nec guttula quaedam profluxerit, in urethra reliquimus, sperantes urinam forsitan postea efflucturam fore. Spes vero nos fefellit, ita ut, cum 24 horis peractis, nullum urinae vestigium e cathetere proflueret, sed ut antea e fistularum orificiis stillitaret, instrumentum remove cogemur. Antequam vero catheter protraheretur, aegrotum urinam mittere iussi, et intentione quadam adhibita, eam primum ex superioribus, deinde ex femoris fistulis effluere vidi. Radii urinae e femoris fistulis emissae validiores



erant, et maiorem arcum effecerunt, quam superiores. Urina eo modo emissa foetida erat, et turbida pure perspicue admixto sex circiter unciarum erat, aeger enim a decima matutina hora usque ad secundam pomeridianam urinam retinuerat. Quo facto, ut vesicae collum explorarem digitum oleo illitum in intestinum rectum imisi; prostatam quidem solitae magnitudinis et consistentiae reperi, vesicae vero collum iusto crassius mihi visum est, quam quidem rem intestino recto interposito certius diiudicare nolo. Catheterem vero denuo illatum sentire nullo modo potui etiamsi huc et illuc moveri illum iussissem, nec specillo usque ad catheterem in urethram introductum perveniri potuit, cum maxime ex parte cuiusvis fistulae meatus plus minusve curvam observaret directionem. — Omnis praeterea sub scroto et circum urethram tela cellulosa in massam purulentam mutata erat, ita ut catheteri ubique transitum sine ullo dolore permetteret. — Catheter extractus sanguine doagulato obductus fuit.

### Coniectura de origine huius morbi et decursu ipsius deducta.

Ex omnibus, quae ab aegroto ipso eiusque comitibus, tentamine strictissime instituto cognoscere mihi licuit, colligere facile potui, vulnus

aegroto nostro vi sat vehemente a bove illatum fuisse, ita ut et organa uropoëtica, praecipue vesica urinaria et urethra inde non solum contunderentur, verum etiam commoverentur, et tunica urethrae intima in bulbi cavernosi regione rumperetur, tali enim modo haemorrhagia ictum illum subsecuta optime explicari potest. Fomentationibus frigidis perpetuo ac statim post laesionem adhibitis, haemorrhagia quidem cohibita est, impediri vero non potuit, quominus inflammatio et intumescencia organi sauciati inde orirentur. Praeterea verosimillimum videtur, perinaeum tumefactum urethrae canalem compressisse eumque impervium reddidisse, inde fieri facile potuit, ut urethrae parietes quorum membranam internam ruptam fuisse suspicati sumus, inter se conglutinentur. Eum vero vesica et sphincter eius a contusione illa et commotione plus minusve debilitata essent, urina continuo in urethram ruptam influxit, qua, ut antea demonstravimus impervia facta, lotium per novam hanc aperturam in telam cellulosa adiacentem ideoque labefactam infiltratum est, ad femur usque vias sibi aperuit et tertio demum die in hoc loco a fonte remoto destillando in lucem prodiit.

Prima chirurgi curatio fortasse haud satis antiphlogistica fuit, vel etiam catheteribus subtilissimis haud satis diligenter usus, aut remissione

tumoris aut inflammationis nimis confusus est, itaque in vesicam facile se penetraturum autumavit. Interea inflammatio in urethra orta continenter progressa est, ita ut agglutinatio illa parietum sine ullo impedimento processerit; quodsi a primo inde laesionis momento, catheter rite esset adhibitus, in posterum quoque instrumenta in urethram introduci sine ullo nixu potuisse persuasum habemus, etiamsi inflammatio et dolores inde auferentur.

Mea quidem sententia inflammationi venienti occurri potuit, si ab initio statim curatio antiphlogistica rite instituta esset, praesertim cum homo iste habitu valido ac sanguineo gavisus est; quo neglecto, fieri iam non potuit, quin canalis urethrae concreveret, et fistulae ex urinae infiltrationem exortae confluerent, de qua re explorationibus institutis, certior factus sum. Tali igitur rerum conditione omnis iam cura therapeutica non solum inutilis, verum etiam nociva mihi videbatur, namsi primo statim laesionis tempore vel fistulae singulae, vel coalescentia urethrae, operatione artis lege facta, (quod tunc temporis sine ullo negotio fieri potuit) remotae essent, malum hoc, ad istum usque gradum neutiquam progressum esset. Sententia mea praeterea et eo probatur, quod si urina per rupturam quandam vesicae ipsius proflueret, aegrotus nullo modo ut

antea vidimus, lotium arbitrio suo retinere et emittere potuisset, ab initio quidem certius probari non potuit cum re vera per aliquod tempus, urina sponte proflueret et vesica ipsa laesa videretur, mox tamen de integritate et vesicae et sphincteris eius convicti sumus. Cura Sedini adhibita similiter inutilis fuisse videtur, nam catheteribus nimis saepe et non sine vehementia impositis (cuius rei pag. 21. mentio facta est) urethra sine dubio percussa est, ita ut diverticula inde formarentur, quae quidem postea tenui quadam membrana denuo concreverunt. Quod explorationibus, maxime specillis sulcatis cognovi.

### P r o g n o s i s.

E phaenomenis his omnibus modo enumeratis perspicue satis elucescit, prognosin nonnisi dubiam esse posse, praecipue si urethra, coniectura nostra, concreta esset, quae coalescentia operatione tantum tolli possit, cui vires aegroti vix sufficient.

Sin autem tumore et induratione solummodo compressa esset, prognosis melior evaderet. Fistulas vero sine operatione iam de medio tollere, extra artis limina positum est.

## Medendi ratio.

Cum aegrotus omnino postulet, ut omnia tentemus, quaecunque ad sanandum eum pertinere possint, has proposui indicationes: indurationes et tumor ut emolliantur, atque per suppurationem removeantur. Deinde ut fistulae omnes specilli sulcati ope ad internum usque orificium diffinderentur, et vera fistularum causa tali modo explorata, adhaesio urethrae fortuita aut compressionis causa removeretur cathetereque in vesicam illato urethra per granulationem ad integritatem reduceretur.

Cum corpus aegroti validum esset, nulla medicamina interna illi ab initio porrexi, locis vero induratis, cataplasmata calida, ex hordeo ex-corticato et oleo lini applicavi, quae renovari iussi quoties detepescere inceperant. Praeterea bis quotidie Ungt. Neapolitanum infricari curavi. Hanc emolliendi methodum, in nosocomio franco-gallico ad locos induratos atque inveteratos resolvendos felicissime adhibitam vidi, quod remedium postea semper ad resolvendas vel emolliendas indurationes optimo cum successu adhibui.

Peractis octo diebus indurationes aequae ac tumor decrescere coeperunt, et puris magna copia e fistulis profluxit. Vires aegroti suppuratione hac copiosiori parum quidem confectae sunt, haud

inutile tamen censui, omnia praecavere incommoda, quae in posterum ex tali humorum iactura oriri possent, ideoque decoctum chinae tenue et alimenta magis nutrientia ei porrigi iussi. Mox vero aegrotus de doloribus in regione ossis sacri conquestus est, quos tamen ex incubitu continuo deduxi.

Die nono Maii perinaeum prorsus emoliturum inveni, urina autem nihilominus per urethram non provenit. Subtillissimos catheteres hodie imponere tentavi, sed idem obstaculum atque antea mihi sese obtulit. Specillo sulcato deinde opera aliqua adhibita ulterius penetravi, quam subtilissimis illis catheteribus, viam vero, qua nuper specillo penetravimus hodie nullo modo invenire potui, unde eam rursus concretam fuisse collegi. Dr. L. deinde catheteres varios inferre studuit, sed omnibus frustra tentatis, ad specillum sulcatum tandem recurrit, quo cum altius penetrasset, sanguinis aliquid profluxit et aegrotus doloribus affectus est, subito vero specillum ad manubrium usque irrupit, sed iter quo progressum est, haud quisquam nec explorationibus externis, nec internis per intestinum rectum, cognoscere potuit. Extracto specillo pus cum sanguine commixtum conspiciebatur. Certior vero ut sciam an catheter in fistulam aliquam forte intrasset, duas circiter uncias lactis tepidi aqua diluti inieci sed fluidum

hoc cum nusquam proflueret, aegrotum paulo post urinam reddere iussi, quae ut antea e fistulis provenit; utrum vero lac ei inesset, haudquaquam dignosci potuit, cum a pure admixto turbata esset.

His experimentis aeger tantis affectus est doloribus ut catheter nullo modo in urethra relinqui potuit, ideoque protrahere eum coactus sum. Indurationes autem partium supra laudatarum, et callositates ostiorum fistularum omnino ut removeantur, cataplasmata illa et inunctiones adhibere perrexi, similiter et decoctum chinae iam antea adhibitum reiteratum est.

Postero die de doloribus in perinaeo atque in regione ossis ischii sinistri aeger conquestus est, quae partes cum eas perscrutarem tumefactas ac rubicundas inveni, quod ante id tempus conspici non potuit. Ungt. igitur neapolitanum cum linimento volatili et Tinctura Opii circum partes dolentes infricatum est, sed doloribus non remittentibus hirudines applicari iussi, quae optimum quidem exseruerunt effectum tumor tamen non decrevit, et tertio demum die fluctuationem in eodem loco distincte satis sentire licuit; dolores rursus increverunt et tumor ille nocte subsequenti ruptus multum puris tenuis, ac malum spargentis odorem, cum urina commixti, emisit. Quo facto dolores statim evanuerunt aegrotusque

maximum inde persensit levamen, ita ut sine molestia somno se dare et cibis, non sine appetentia frui posset. Die XVI Maii de nausea et anorexia conqueri coepit, quibus mox et tensio et ponderis sensatio in praecordiis, colica borborygmi, etc. se adiunxerunt. Pulsus interea plenus duriusculus et paulum acceleratus, lingua muco obducta. Aegrotus omnia haec incommoda perfrigerio et abusui ciborum nimis pinguium attribuit.

Praescripsi igitur:

Rp. Ammonii muriatic, dr. II.

Extr. Taraxac. Unc. dimid.

solv. in

Aq. flor. Tiliae Unc. sex.

adde

Vini stibiat. dr. I.

D. S. Quovis bihorio Cochleare unum.

Postero die cum omnia symptomata gasrica aucta viderem emeticum porrigere haud dubitavi.

Rp.

Rad. Ipecacuanhae scrupul. I,

Tatar. stibiat gr. II.

Sacchar. alb. dr. I.

M. f. Pulv. div. in III. part. aequal.

D. S. quavis horae parte quarta pulverem unum.

Postquam itaque ter vomuerat, pristina valetudo mox restituta est.



Die XVIII. pulsum sueto frequentiore in-  
venimus, linguam vero denuo muco obductam,  
cutem autem siccam atque ciborum desiderium  
deficiens, mixturam igitur resolventem die XVI  
porrectam reiterari iussi, et cataplasmata ita ut an-  
teand adhibere perrexi, cum nobis in animo esset,  
aegrotum a malis suis quam primum operatione  
rite instituta liberare. — Urina interea non so-  
lum e fistulis ut antea, verum etiam e foramini-  
bus ruptura illa tumoris in osse ischii exortis pro-  
fluxit.

D. XX. Diarrhoea multis cum borborygmis,  
flatibus et similibus symptomatibus apparuit, qua  
tamen aeger nulla persensit incommoda. Noctu  
vero tam crebro alvum deiecit, ut inde summo-  
pere debilitaretur. Die igitur subsequenti Pulveres  
Doweri praescripsi, qui optimum exseruerunt ef-  
fectum, ita ut aeger hac nocte semel tantum al-  
vum deicere coactus esset totamque fere dormi-  
endo degeret.

Postero die evacuationes alvinae rursus auc-  
tae sunt, excreta stercorosa quidem erant multa  
tamen pituita commixta, et dolorem urgentem in  
ani orificio effecerunt.

D. XXII. Diarrhoea copiosior atque antea  
pertinacter resistit et colliquativae indolis esse vi-  
detur, qua propter ad efficaciora remedia recur-  
rere haud dubitavi, praescripsi: —

Rp. Rad. columb. Unc. dimid.  
coq. c. Aq. f. q. s. colat. Unc. sex  
adde

Extr Opii aquos. gr. II.

Tinct. Calami comp. Dr. II.

MDS. Quovis bihorio cochlearia duo.

Praeterea mane et vespere huic medicamento pulverem Doweri interpōsui. — Cum autem siti perpetua vexaretur, Decoctum tenue ex oryza confectum pro potu porrigi iussi. Sed omnia haec remedia nihil profecere nec impedire potuerunt quominus diarrhoea progredieretur; pulsus parvus frequentia interim magis magisque crevit et huius diei vespere et febricula accessit. Hora circiter nona vespertina cum diarrhoea adeo vehementis esset, ut vires aegroti consumere minitaret, clysmata ex amylo cum Tinct. Thebaicae guttis XXX applicavi.

D. XXIII. Balneo tepido hodie usus est, praeterea tria clysmata ex amylo cum opio applicata sunt. Mixturam heri praescriptam sumere pergit. Ciborum appetentia prorsus deest, nihilque praeter ius carnis cum vitello ovi confectum hodie assumsit. Noctem quiete et dormiendo degit.

D. XXIV. Interdiu bis tantum alvum deiecit, noctu vero septies.

D. XXV. Medicaminibus clysmatibus et balneis ut antea uti pergit. Pulveribus Doweri Ma-

cidis aliquid adieci. Ad sitin vero sedandam decoctum oryzae tenue cum vino rubro et cinnamomo confectum accepit.

D. XXVI. Alvi deiectiones non tam crebrae ac diebus antecedentibus, pulsus vero parvus frequens et irregularis, lingua etiamsi aegrotus permultum bibit, sicca tamen, subfusca et scabra. Excretio alvina muco viridi cum sanguine commisto adaequat.

Omnia supra memorata medicamina, ut Decoct columb. cum Opio, clysmata, balnea etc. sine ullo fructu usque D. 1. Iunii adhibita sunt; vespere quovis febricula rediit, quae, quantum coniectura adsequi potui, febris lentae indolem ab initio statim prae se tulit, cui mox et comites i. e. excretiones colliquativae accesserunt.

D. 1. Iunii, Ill. Graefe praeceptoris consilio morem gerens praescripsi:

Rp. Plumb. acetic gr. I.

Opium pur. gr. dimid.

Elaeos. menth scrupul. dimid.

M. f. pulv. d. dos. tal. VI.

Sig. ter die pulverem unum.

Pro potu vero porrexi decoctum Salep cum aromatibus et vino rubro conditum, solidiores enim cibos nullo modo assumere potuit. Ventrem praeterea cum Ungt. Rorismarin. comp. infricandum curavi.

D. II. Diarrhoea valde copiosa, excreta odorem spargunt foetidissimum et omnia quibus aeger fruitur (praecipue potus tepidus) cum strepitu quodam in ventriculum decidunt, et paulo post multis borborygmis antecessis eiiciuntur. Venter collapsus est ac turgore vitali prorsus privatus, aeger praeterea macie maxime confectus vires magis magisque deficiunt, medicaminibusque exceptis nihil amplius assumere valet. Ex omnibus sex fistularum ostiis ichor tenuis e luteo-viridis profluit.

D. III. — Omnibus itaque remediis frustra adhibitis ad Arnicae hoc in casu praecipue laudatam recurri:

Rp. Rad. Arnicae Unc. dimid.

coq. c. Aq. font. q. s.

ad Colat Unc. sex.

adde

Rad. Salep. dr. I.

Tinct. Opii cr. gtt. XX.

MDS. Quavis hora cochleare unum.

D. IV. Alvi deiectiones rariores hodie esse videntur, et aeger melius se habet ac heri; Paulum iuris carnis cum ovi vitello assumsit. Pulsus plenior sed rarus, lingua mucosus fusco obducta et arida.

D. V. — Noctem quiete degit, et bis tantum alvum deiecit, Faeces ut antea serosae cum sanguine commistae sunt.

D. VI. Diarrhoea creberrime insequitur. Pulsus parvus frequentissimus, vox rauca, dolores prorsus absunt: ab osse inde sacro usque ad partem inferiorem femoris rubor erysipelaceus extensus est. E fistulis ichor una cum urina profluere haud desiit. E pidermis a pene sponte solvi coepit, quapropter fomentum e decocto Ulmi cum aceto saturnino paratum adhiberi iussi.

Per os sumendum praescripsi.

Rp. Rad. Ratanhiae Unc. dimid.

coq. c. Aq. q. s. Col. Unc. sex.

adde

Rad. Salep pulv. dr. I.

Tinct. cinnamomi dr. II.

Syr simpl. Unc. dimid.

MDS. quavis hora cochlear unum.

Cui pulveres istos e Plumbo acetico et opio interposui. Cum infricationibus, clysmatibus etc. pergit.

D. VII. Pulsus minimus et rarus, lingua non tam fusca et arida, excrementa vel involuntarie profluunt. In medicaminibus adhibendis nihil mutatum est.

D. VIII. Pulsus tam parvus ut vix sentiri possit, lingua arida, subnigra, dentes muco ni-

gricante obducti, oculi latentes et languidi, loquela debilis, excreta foetidissima involuntarie prodeuntia. Huius diei vespere pulsus iam prorsus abesse videbatur.

D. IX. — Hora 6ta matutina, aeger quiete lectulo incubat, quaerenti respondit quidem, sed cum quadam difficultate et languore. In facie ita ut in toto corpore maculae e nigro rubicundae apparuerunt. Hora post meridiem secunda quiete debitum naturae reddidit.

### Cadaveris exploratio.

I. Dissecto abdominae omenta et mesenterium summa macie confecta inventa sunt. Intestina vacua et contracta, ceterum haud vitata. Ventriculus liquoris viridis uncias circiter decem continuit. Lien, pancreas, hepar, a norma haud recesserunt. In vesica fellea 45. parvos calculos subfuscis invenimus, maximus eorum lentis magnitudine, ceteri paulo minores erant. Bilis consistentiae tenacis et nigrae. Renes et ureteres normales. S. romanum et intestinum rectum in dextro latere cum musculo obturatore interno concreverant.

II. De cruris dextri fistularum natura, quas in anamnesi commemoravi haec fere explorando comperi:

a) externum fistulae orificium in medio gracili initium cepit, ipsa vero sursam inter hunc musculum et abductorem maiorem per cellulosa

quae eos coniungit, et maxime indurata fuit, iuxta scrotum usque ad cavum pelvis extensa erat. Haec fistula novem pollicum longitudinis erat.

b) Secundae fistulae ostium in interna et posteriore femoris parte duos pollices priori altius situm erat, canalem autem ipsum oblique ab inferiore ad superiorem partem exporrectum, cum priori coniunctum reperimus. Tela cellulosa eum circumvolvens maxime etiam indurata apparuit.

c) In inferiore ac dextra scroti parte una fistula, secunda in perinaeo obvenerunt, quae in unum tandem canalem coniunctae, cum fistula maxima se communicaverunt. Horum longitudo erat sesqui pollicis.

d) In regione ossis ischii sinistri duo orificia invenimus, quae in magnum cavum a pure sine dubio in partibus mollibus formatum duxerunt.

III. Tela cellulosa quae intestinum rectum cum osse sacro coniungit omnino destructa erat, ita ut intestinum rectum antrorsum cum vesica tantum, dextrorsum vero cum obturatorio interno coniunctum esset,

In hac autem regione locum occurrimus excavatum maximam tam sublutei et crassioris puris, quam foetidi et grisei ichoris copiam continentem.

IV. Cathetere in urethram imposito iam videri licuit cum in extrema urethrae parte sinistrorsum, canalem spurium, ante ipsam stricturam sursus, per corpus cavernosum sinistrum transiisse

et ad perinaeum usque extensum fuisse. In hac vero regione canalis iste, in duos minores seiungebatur, quorum alter in cavum pelvis vergebat alter vero ad musculos Gluteos usque exporrectus erat.

V. Vesica, intestino recto partibusque genitalibus remotis, in adversa ossis sacri parte omnem telam cellulosa destructam vidimus, ita ut tres inferiores nervi sacrales ex toto essent nudati, corpus autem tertiae vertebrae spuriae quod notatu dignissimum est, carie ex toto fere destructum erat.

VI. Membranae intestini recti incolumes quidem erant, sed sphincter ani maxima ex parte destructus nobis se obtulit.

VII. Vesicae seminales cum Vesica concretae ac partim induratae.

VIII. Prostata normalis.

IX. Vesica urinaria insolitae erat parvitatibus ita ut sex fluidi uncias vix capere possit. Membranae eius quatuor ad quinque lineas crassae erant et ipsa aliquid muci et urinae continebat.

X. Isthmus urethrae normam non excessit. In parte anteriori bulbi cavernosi duo obvenerunt fistularum ostia, quorum circuitus unius fere lineae spatium effecit, quaeque dextrorsum in scrotum iter aperierunt. His sub ostiis urethra ex toto clausa erat, et locus ille sex linearum longitudinis, quasi cartilagineus tactui se praebuit. Urethra dissecta apertura sub loco isto indurato in pariete sinistro conspiciebatur, e qua cuniculus



perinaeum penetrans ad pelvis usque cavum extensus erat. Cellulosa eum circumdans indurata apparuit.

XI. Testiculus dexter cum tunica testis partim, partim cum tunica vaginali propria et scroto concretus erat, parenchyma vero a norma haud aberravit. Epididymis indurata in parte suprema seu capite sic dicto magnam puris spissioris quantitatem continebat.

XII. Testiculum sinistrum integrum reperimus.

---

E toto morbi decursu et ex eo quod cadaveris sectione inventum est, plura phaenomena hucusque inexplicabilia, quodammodo enucleari possunt.

Explicatio mea de fistularum origine (pag. 39. X.) exhibita cadaveris exploratione probatur, nam in loco suspecto urethra, dimidii fere pollicis longitudine concreta erat, in parte vero huic stricturae aversa duo inveni fistularum ostia, quibus urina in partes adiacentes effundebatur (pag. eadem.)

Simili modo sententia mea de statu paralytico, seu languore vesicae iis probatur, quae sub No. IX. exhibui. -- Densitatem autem vesicae nimiam, eo explicari videtur, quod vesica urinae stillicidio continuo, turgore suo magis (magisque) privaretur, tandemque collaberetur et in semet ipsam contraheretur, cuius rei parvitas eius insueta documento esse potest.

Indurationes et conglutinationes sub No VIII. descriptae vesicularum seminalium et epididymitis

partim lotii infiltrationones, partim inflammationem antecessam causas certe agnoscunt. Neque minus et coniectura mea, vias spurias applicatione catheterum creberrima et non sine vehementia instituta ortas esse omnino confirmata est,

Suppurationem in ipso pelvis cavo inflammatio ex urinae infiltrationibus orta, haud dubie longe antecessit.

Notatu autem dignissimum videtur, quod sacrales et alii adiacentes, Ischiadicum construentes nervi a destructionibus his neutiquam correpti sint, quin imo aeger etiamsi os sacrum magna ex parte carie destructum esset, de doloribus gravioribus haud quaquam conquestus sit, nec ullum paralyseos aut alius affectionis signum in femore apparuerit. Hoc verum exemplum magis adhuc eorum sententiam probat, qui contendunt, ossa et aliae partes corporis duriores destructioni a suppuratione illatae magis exposita esse quam nervi ipsi.

---

CURRICULUM VITAE  
EX DECRETO  
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE  
BEROLINENSIS  
ADIECTUM.

---

Ego Iosephus Antonius Iagielski Posnaniae Die XIX februarii anni MDCCXCII. patre Antonio Iagielski huius urbis mercatore, matre Anna e gente Kramarkiewicz natus sum. Ad XVI usque aetatis annum gymnasium Posnaniense frequentavi, ludumque ibi scholasticum rite peregi. Quo facto artem pharmaceuticam partim Posnaniae partim Berolini inde ab anno MDCCCVIII ad annum usque MDCCCXV feci. Hac in urbe non solum a Reverend. Hummel et laenike pharmacopolis (quorum erga me benevolentiam dum vita suppetet nulla unquam delebit oblivio) in pharmacia practica institutus sum, verum etiam lectionibus de chemia et physica experimentalis Cel. Turte, de chemia vero experimentalis Ill. Hermbstaedt, de botanice Cel. Heyne sedulo interfui, neque excursionum a Viro hoc celeberrimo institutarum particeps esse dubitavi. Vratislaviam denique profectus, per biennium integrum et sex menses pharmaciae operam navare perrexi.

Ad altiora vero medicinae studia animo conversus, civium academicorum numero ab Ill.

Maddin h. t. Universitatis Vratislaviensis Rectore Magnifico die II<sup>do</sup> M. Martis adscriptus sum, ibique Virorum celeberrimorum lectionibus his de doctrinis interfui. Cel. Thilo de logice et dialectica. Cel. Steffens de geographia physicali, de physice experimentalis de coloribus luce et calore. Cel. Wachler de historia aevi decimi octavi. Cel. Rosenthal de osteologia, anatomia universalium tum theoretica, tum practica. Cel. Otto de anatomia universalis. Cel. Bartels de [physiologia organismi humani, de generatione et de studiorum vitae doctrina. Cel. Klose de pathologia generali. Ill. Wendt de materia medica, therapia speciali, de morbis infantum, de thermis et fontibus germaniae medicatis. Ill. Benedict de encyclopaedia medica, chirurgia universalis, ophthalmiatrie et de febrium intermittentium doctrina, qui vir Ill. in chirurgia practica in clinico chirurgico dux mihi etiam fuit. Ill. Remer de therapia generali, de introductione in therapiam generalem, de formulis medicis rite conscribendis.

Anno MDCCCXX mense Aprili Berolinum me contuli, ubi Universitatis Litterariae d. XV. M. Apr. civis factus. Has frequentavi lectiones: Ill. Rudolphi de anatomia comparata. Ill. Horn de morbis syphiliticis. Cel. Wolfart, de morbis psychicis, et magnetismo animali. Ill. Graefe de ophthalmiatrie. Cel. Kluge de luxationibus et fracturis, de arte obstetricia tum theoretica tum practica. Operationibus denique chi-

rurgicis in corporibus mortuis Cel. Rust duce institutis operam navavi, neque mihi ad instituta clinica. Ill Graefe, Ill. Hufeland, Ill. Berends adiutum negaverunt.

Tentamine iam et examine rigoroso rite peractis, spero fore ut summi in medicina et chirurgia honores dissertatione hac et thesibus defensis hodie in me conferentur.

---

## THESES DEFENDENDAE.

---

### I.

Pulsus vibratione arteriarum efficitur.

### II.

Causam proximam diabetae melliti et dynamicæ et chemicæ simul agere contendo,

### III.

Zonam erysipelatis speciem esse nego.

---